que decollatum sciebant, aut unum de prophetis prioribus surrexisse cre
debant. Sed hoc quaerere super nos est, alterius sententiae alterius prudentiae
est. Nam si paulo apostolo satis est nihil scire nisi christum iesum et hunc crucifixum,
quid amplius mihi desiderandum est scire quam christum? In uno enim hoc nomine et di
uinitatis et incarnationis expressio et fides est passionis. Et ideo licet ceteri apostoli
sciant, petrus tamen respondit prae ceteris: Tu es christus filius dei uiui. Comple
xus est itaque omnia qui et naturam et nomen expressit, in quo summa uirtutum est. Et ne
nos de generatione dei disseramus quaestiones? Cum paulus iudicauerit nihil
scire nisi christum iesum et hunc crucifixum, petrus nihil amplius quam dei filium pu
tauerit confitendum, nos et quando et quomodo natus sit et quantus sit humanae
infirmitatis contemplatione rimamur? Sciebat paulus quod in his magis
offendiculum quaestionis quam aedificationis profectus esset, et ideo iudicauit ni
chil scire nisi christum iesum. Sciebat petrus quod in filio dei omnia sint. Omnia
enim dedit pater filio. Si omnia dedit, et aeternitatem quam habet maiestatemque transfudit.
Sed quid prolabor longius? Finis fidei meae christus est, finis fidei meae dei filius est. Non li
cet mihi scire generationis seriem, non licet tamen nescire generationis fidem.
Crede ergo sic, quemadmodum petrus credidit, ut et tu beatus sis, ut et tu
audire merearis: quia non caro et sanguis reuelauit tibi, sed pater meus qui in
caelis est. Caro enim et sanguis non nisi quae terrena sunt reuelare possunt; at uero qui spiritu
loquitur mysteria, non carnis et sanguinis magisterio, sed diuina inspi
ratione fundatur. Noli ergo adquiescere carni et sanguini, ne carnis et san
guinis praecepta haurias, atque ipse sanguis et caro fias. Qui enim carni
adheret caro est, et qui adheret deo unus spiritus est. Non permanebit inquit spiritus
meus in hominibus istis in aeternum, quia caro sunt. Sed utinam caro et sanguis
non sint qui audiunt, sed a carnis et sanguinis remoti cupiditatibus pos
sint dicere singuli: Non timeo quid mihi faciat caro. Qui enim carnem uicerit
ecclesiae fundamentum est; et si aequari petro non potest, imitari potest. Magna
sunt enim dei munera, qui non solum nobis quae fuerant nostra reparauit, uerum etiam
quae sunt sua propria concessit. Refert tamen quid sibi uelit quod non alium turba opi
nabatur nisi aut heliam aut ieremiam aut iohannem baptistam. Et heliam

Refert .i. questione mouet.

License: CC-BY-NC – Einsiedeln, Stiftsbibliothek, Codex 166(413), p. p.%20181 – Ambrosius ‹Mediolanensis›, Expositio Evangelii secundum Lucam (http://www.e-codices.ch/en/sbe/0166/p.%20181)